



6

11-c

109

H



6-11-c-109

~~X 116 118 f 20~~



Handwritten text, possibly a page number or reference, located on the left margin.




CAROLI RUÆI  
E  
SOCIETATE JESU  
PRO CONFECTO  
FELICITER BELLO  
PANEGRICUS  
LUDOVICO MAGNO  
DICTUS

Parisiis in Collegio Claromontano,

VII. Kal. Decemb. Ann. CIƆ. IƆC. LXXVIII.

*Assistentia Gallia Soc. Jesu*



PARISIIS

Apud SIMONEM BENARD, via Jacobæ.  
è regione Collegii Claromontani  
Societatis JESU.

---

M. DC. LXXVIII.

D. PROB. ROM. S. J.

1954

1954

1954





LUDOVICO MAGNO

PRO CONFECTO

FELICITER BELLO

*PANEGYRICVS.*

**I**N hac tanta luce tempo-  
rum & rerum prosperitate  
cum fere nihil occurrat Gal-  
lico nomine præstantius, VIRI  
ILLUSTRISSIMI: quo casu fieri  
dicam, ut qui me unum inter  
cæteros natum ea conditione  
temporis atque gentis antea sic  
gaudebam, ut in maximis vitæ  
bonis id præcipuum ducerem;  
idem tamen, ex quo regię lau-

A ij



4 LUDOVICO MAGNO  
dationis partes ad me esse delatas intellexi, ita sim continuo voluntate & studio immutatus, ut meæ me patriæ tantum non pœniteat? Si enim, aut libero in loco versarer, nullisque partibus obnoxio; aut ex iis gentibus ortum ducerem, quæ Gallicæ laudi maxime infestæ dicuntur esse; facerem sane apud vos hoc tempore, quod eos, qui sic nati sunt, libere usurpare vidimus inter suos: res a Ludovico magno præclare gestas, ea qua par est orationis amplitudine ac dignitate, vel ad publicam orbis terrarum admirationem, vel ad invidiam certe, prædicarem. Enimvero quid uberius ad rerum nostrarum commendationem, & magnificentius dici po-

test; quam quod literis hostium quotidianis, nuntiis, instrumentis, sparsis etiam in Anglia passim & Germania libellis, de formidoloso virium nostrarum incremento, consignatum est; aut communi hominum sermone longe lateque pervagatum. Qua in prædicatione etsi modum nonnunquam excesserint: ea tamen erat potentia nostræ apud omnes opinio; ut in ea celebranda paulû a vero deflectere, non sine aliqua veri similitudine, posse se interdum putarint. Nunc vero, quam nec hostibus æmulatione, nec hominibus exteris peregrinitas abstulit, laudandi regis nostri licentiam; eandem hodie mihi, vel in maxima dicendi voluntate, patriæ ratio pæne

6 LUDOVICO MAGNO  
adimit. Obstat enim huic studio,  
tum regis ipsius modestia, tum  
cæterorum offensio populorum:  
quarum alteram revereri, obse-  
quentis ; alteram extimescere,  
prudentis ; utrique in scribendo  
dicendoque cõsulere, Galli nunc  
imprimis hominis est. Intelligo  
igitur, AUDITORES, quam diffi-  
cilem in locum hodie inciderim;  
qui defixos in me unum videam,  
& regis, & orbis totius oculos:  
non modo ne quid nimium, ne  
quid assentationi confine; sed ne  
vel id ipsum dicam, quodcunque  
de rebus nostris juste ac legitime  
dici potest. In quo quid potius  
querar, non video: an alienorum  
hominum supercilium, qui ne id  
quidem nos plane ac simpliciter  
proferre patiuntur ; quod ipsi

cum exaggerarent impensius, cum figmentis etiam & mendaciis ornarent, fidem se putabant facile inventuros: an regis optimi duram legem, qui hostium in ea re fastidio potius, quam suorum studio, morem gerat; & se parce malit, quam invidiose laudari. Nova profecto res, AUDITORES! imminens oratori, non ab adulatione, sed a veritate periculum: ut in effusissima laudatione mendax esse non possit, verax esse nimis possit. Obsequamur tamen huic legi, parcamus regiis auribus, peregrinas ne lædamus: de belli hujus genere sic dicamus; ut modestiores quam par esset, ac religiosiores in dicendo nos fuisse, vel hostes ipsi fateantur.

### 3 LUDOVICO MAGNO

Id sane præstitero, si res tantas brevi dicto ac simplici comprehendero : Bellum ab omni memoria gestum in Gallia nullum hoc postremo gloriosius. Et quoniam animadverto, gloriæ militaris ac potentiae tria esse quasi membra quibus ea stet ac vigeat; fortitudinem, opulentiam, prudentiam : ita tres imprimis hoc bello Galliae provisos fuisse hostes video ; Batavos , Hispanos, Germanos : omnes insigniter quidem hac triplici laude florentes , at singulis tamen singulos insignius ; Hispanos prudentia, Batavos opulentia , fortitudine Germanos. Ut nempe Gallica fortitudo, comprimendis Germanis emereret; opulentia, multandis Batavis excelleret ; pru-

dentia, occupandis Hispanis eluceret. Non quod iis antea laudibus non abundarem ipsi quoque; sed quod eas innata genti nostræ vitia corrumpèrent: prudentiam levitas, fortitudinem temeritas, opulentiam intempestiva quædam & cæca prodigentia. Deterit hoc bello Ludovici felicitas inustam ab omni ævo Gallicæ virtuti maculam, si qua fuit; si qua laus a majoribus tradita, cumulavit; si qua hostium propria, suam fecit. Quæ tria dum oratione persequar; & primo de fortitudine, tum de opulentia, postremo de prudentia disseram: nihil dicam, Auditores, non certum, non publicum, non imperatoris ad Batavos admonitionibus.

10 LUDOVICO MAGNO  
regumque literis contestatum ;  
non ab eorum legatis in Colo-  
niensi ac Neomagensi conventu  
palam & sæpe prædicatum. Mi-  
nus etiam aliquid dicam. Ea le-  
niam sane, quæ metus iis ex-  
pressit: & me, non ad cuiusquam  
offensionem, sed ad veræ com-  
memorationem virtutis, hunc in  
locum venisse meminero. Ad-  
monet me officii spirans hic ante  
oculos in hac regis effigie veræ  
ac sinceræ fortitudinis species.  
Admonent laureatæ istæ princi-  
pum & imperatorum imagines:  
qui tot præclare gestorum admi-  
nistri, nunc & dictorum meo-  
rum etiam muti testes, ornari se  
mendaciorum pigmentis & inani  
adulationis fucis, vel in ipsis  
picturæ coloribus erubescerent.



EA semper fuit communis hominum opinio gentem nostram, & fortitudine præstantem, & maximis ad eam laudem esse instructam adjuventis. Firmavit hanc opinionem continuus prope ab ipso rerum nostrarum exordio belli usus, expeditiones finitimæ ac longinquæ: quibus cum antea probatum sit, quantum singulis gentibus præstaremus; tum hoc primum bello, quod proxime confecimus, apparuit, quanto reliquis una omnibus collectis & consociatis superiores essemus.

Revocate in memoriam;  
**AUDITORES**, vicinarum gentium graves minas, fœderum religiones, exercituum numerum, formidolosos appa-

12 LUDOVICO MAGNO  
ratus, orbi terrarum subjiciendo  
prope pares. His, aut sane paucio-  
ribus, non omnino cessisse, Fran-  
cisco olim hujus nominis primo  
laudi fuit. Iisdem, non obstitisse  
dico, non victoriam extorsisse;  
sed cladem etiam intulisse, sed  
spem sarcindæ cladis abstulisse;  
quanti roboris, quam vegetæ for-  
titudinis, quam animosæ virtutis  
fuit! Videre mihi videor angu-  
stam illam Galliam, infestis un-  
decunque populis, quasi ho-  
stili quodam vallo & obsidione,  
circumfessam: sic aptam tamen  
in se partibus suis, ac veluti con-  
globatam; ut nihil hiare quic-  
quam aut deficere visum sit;  
nihil detrahi, aut avelli, aut per-  
rumpi potuerit. Quis hoc pri-  
mum satis prædicet Gallicæ for-

titudinis exemplum? tot conjuratos exercitus, magna spe, magnis præmiis, in perniciem nostram incitatos, continuo septem annorum spatio ne locum quidem facere sibi potuisse, ubi pedem in nostro figerent. Quid hoc alterum dicam, quam novum & inusitatum specimen? Eosdem, iis instructos viribus, ea inter se societate firmatos, vi arte, consilio, molitione omni atque contentione non potuisse perficere; quin urbem quamcumque oppugnare libuerat, (quam multas autem oppugnavimus!) continuo caperemus. Quid hoc tertium adiciam opinione majus & fide prodigium? Galliam tanta hostium diversitate atque multitudine distra-

14 LUDOVICO MAGNO,  
ctam, ita, nec imminutis viribus,  
dispertisse vires suas, ut ubique to-  
ta regnis & imperiis totis obstare  
atque occurrere videretur: ut alia  
quidem sui parte totum illud  
imperatorii nominis robur ad  
Rhenum infringeret; alia con-  
tentos in Flandria Batavorum  
ac fœderatorum nervos omnes  
elideret; alia superatis Pyre-  
næorum saltibus caput ipsum  
Hispanicæ potentiae lacefferet.  
Mirata est Germania sic valla-  
tas exercitibus nostris Rheni  
ripas, quasi præsidio fines Bel-  
gici caruissent; Belgium tot se  
copiis obsideri, quasi nudatus  
esset milite Rheni limes; Hispa-  
nia sic se peti, quasi esset jam  
cæteris in partibus debellatum;  
omnes una conspiratione con-

junctæ nationes extremas undique regni oras tanta multitudine præcingi atque defendi, quasi vacua intus omnia vasta solitudine horrerent. Tantus omnium animos belli ardor incesserat. Tanta militaris gloriæ cupiditas inflammaverat Gallos, vigebat apud nobiles, penetraverat in cives, in colonos irreperat: convolabant ad arma, ex agris, ex oppidis. Cum tamen & ordinum omnium splendore bonarumque artium studiis florerent ubique urbes, & admirabili frugum copia agri circumfluerent.

Valeant nunc denique voces illæ, toties in patriæ contumeliam jactatæ, non omnino quidem inaniter: Vigere tantum im-

petu, non item firmitate & constantia, Gallorum fortitudinem: Nos præliis idoneos, obsidionibus minus aptos; subitis impressionibus promptos, lentis propugnationibus imparatos; terrestribus militiæ patientes, maritimæ minus expertos; equite, quam pedite, firmiores; milites in univ-  
ersum plus excellere, quam duces. Purgavimus aliquando quicquid erat veteris illius vitii moribus nostris inolitum. Facta est hujus belli auspiciis & Ludovici virtute, quasi pollentis alicujus fideris exortu, mira voluntatum apud nos, & indolis, & studiorum commutatio: quæ Gallos, & a se omnino alios, & se quodammodo superiores effecerit. Obiecit Ludovico  
scilicet

scilicet æmulos uno tempore fortuna fatis multos ; ut singulorum clade singulas nominis nostri maculas deleremus.

Certatum est inter vepres & invias equiti locorum angustias felici exitu sexies, in Zeintzemii collibus, in Turquensibus vineis, in Senefensibus lacunis, in Casfellanis maceriis, in Heinsেমii Montiumque saltibus: ut in pedestri acie præcipuum victoriæ nostræ nunc situm esse momentum orbis intelligeret.

Pugnæ mari quatuor commissæ, proprio Marte ac secundo: perruptus in Siciliam aditus; extinctus ad Augustam Batavus ille marium terror; Hispanorum apud Panormum a Vivonio, Batavorum apud Tabacum.

18 LUDOVICO MAGNO  
ab Estræo classis incensa ; nulla  
vis damnosa navibus nostris, nisi  
quam, ne vitare possemus, con-  
sulto & quasi ex insidiis provi-  
dentia nostræ natura subduxe-  
rat : ut ex iis omnibus palam ef-  
set, quantum & mari possimus.

Urbes oppugnatae frustra nul-  
lae ; captæ vi, deditione, plus  
centum : ut in proverbium  
cederet felix in obsidendo Gal-  
lorum audacia. Excisæ ex iis  
aliquæ, imprimis caput illud  
bellicosæ provinciæ Limbur-  
gum : ut ne, quod imbellium  
est, leviter irasci putaremur :  
ut satis esset Austriacis, Te-  
roannæ excidium tot annos  
impune jactitasse : ut Enguinei  
victoriæ monumentum in rui-  
narum congerie perpetuum &



singulare poneretur; & ignoti conditoris oblita urbs, expugnatore tanto posteritati nota esset.

Denique obsessi interdum sumus captis illis in oppidis: ut pertinaciæ nostræ periculum fieret; & laus illa firmitatis, Hispani militis eo usque propria, penitus ad nostros homines etiam transisse diceretur.

Et quid fateri pudeat ludum fortunæ mirabilem? quo factum, ut ex iis, quas fuisse ab hostibus obsessas meminimus, alicujus nominis octo admodum urbibus, quatuor maxima cum laude servarem; quatuor eorum in potestatem, diuturno labore, sumptu immenso reciderent: ut ex ea brevi rerum vi-

ciffitudine liquidum esset, virtutis esse, non fati, quod bello superiores essemus; eoque puderet hostes magis, iis obsistere se non posse, quos etiam vinci posse cognoscerent. Tum vero quis ægre ferat, in tanta calamitate partium & quotidianis ærumnis, datum id hostium ducibus a fortuna qualecumque solatium, ut singuli singulas urbes: caperent, Bonnam Monteculus, Graviam Auriacus, Lunenburgici Treviros, Philisburgum Lotharingus? Digni, pro splendore natalium ac virtutum: amplitudine, principes; qui, vel militibus aliis imperassent, vel hostes alios nacti essent.

Nos interim & hoste gaudebamus & milite: duces utrisque non

pares, & numero satis multos,  
 belli usu conspicuos, habebamus. Id vero quo, nisi Ludovici  
 agni fato, provisum est? Ut  
 im ex hac tanta, quanta pri-  
 o belli exortu florebamus,  
 ucum & imperatorum copia,  
 onge optimi & experientissimi  
 einceps, aut ætate submoti,  
 ut belli casu consumpti essent:  
 tamen eorum in locum e ju-  
 nioribus evaserint, qui & in fa-  
 nam evasuri aliquando videri  
 possent. Quorum fortitudine  
 ì non statim amissorum ducum  
 justum & commune desiderium,  
 dolorque Galliæ publicus om-  
 nino suppressus est; at certe  
 perfectum, ut ne hostes diu do-  
 lore nostro gauderent.

Condæum bellicis laboribus



22 LUDOVICO MAGNO  
valetudo subduxerat : doluimus  
Galli , timuimus : gesticbatis ,  
Belgæ ! plaudebatis. Hinc revo-  
catus in animos ardor ille pu-  
gnandi paulum Senefensi clade  
restitus : hinc præceptis ad Cas-  
sellum & pertinax audacia. Con-  
dæum videlicet , pugnandi prin-  
cipem & vincendi , longe abesse  
putabatis. Adfuit enimvero ,  
qui vim illius , qui manum , qui  
impetum , qui prudentiam re-  
ferret : dignitate superior , ætate  
inferior , genere par atque ani-  
mo , regis frater. Ac ne is qui-  
dem longo usu , sed primo belli  
aditu tantus factus ; nec arte ad  
vincendum instructus , sed a na-  
tura imbutus ; nec tam fortuna  
duce , quam virtute , summorum  
imperatorum artem , experien-

iam, laudes omnes, una die  
 consecutus atque complexus.

Jam quid illa Turenii nece  
 debilius, quid calamitosius acci-  
 dere nobis poterat? Afflicti re-  
 ges, dejecti milites, attoniti  
 cives, commoti exteri, hostes  
 insperato casu perculsi: mœrere  
 agri perinde atque urbes: castra  
 planctu, templa gemitu perso-  
 nare: prorsus ut in hoc uno  
 imperatore salus omnis excisa,  
 spes ipsa victoriæ consepulta  
 videretur. Excitasti tamen ex  
 illius tumulo spes nostras, Lu-  
 dovice! nec diu passus es popu-  
 los, aut alienos, aut tuos, in  
 hoc errore versari; ut rem for-  
 tunamque Gallicam ullo alio  
 contineri capite sibi fingerent,  
 quam tuo. Dedisti Galliæ, qui

24 LUDOVICO MAGNO  
jacturam unius sarcirent, lectis-  
simos: una die septem viros.  
Sive is erat ejus apud te locus,  
eæ partes in exercitu; quas im-  
plere alii non nisi plures possent.  
Seu potius existimabas, con-  
ceptam ex ejus morte confiden-  
tiam non aliter excutiendam  
hostibus; quam si repentino tot  
imperatorum exortu omnes in-  
telligerent, laborem esse im-  
mensum excindendæ Gallicæ  
potentiæ, cujus capita septem  
ex unius clade reviviscerent.

Hos autem atque alios a vir-  
tute satis antea comparatos ad  
pugnandum, ex quo deinceps  
auctoritate ad imperandum,  
fortuna vero tua ad vincendum  
communisti; quam securi fui-  
mus! quam repressa continuo  
adver-

adversariorum audacia!

Dicat ille Trajectensis urbis  
impugnator exercitus, qualem  
Schombergium senserit. Dicant  
ad Carloregium dissidentes in-  
ter se de fuga tot principes,  
qualem Luxemburgium nacti  
sint. Dicant Pyrenææ rupes &  
Cerdanæ provinciæ capita, qua-  
lem Navallium acceperint. Di-  
cant illæ sparsæ per Austrasiam  
minacis exercitus inermes reli-  
quæ, illi Germanorum equitum  
ad Cokebergum cineres, ille jam  
libero cursu tot ubique ponti-  
bus excisis in mare permeans  
Rhenus; illa jam coercita, jam  
frænata, jam admonita vicinis  
incendiis Argentina, qualem  
Crequium experta sit.

SED huic tantæ ducum vir-

C



26 LUDOVICO MAGNO  
tuti, militum fortitudini, et  
victoriis nostris, damnis & cla-  
dibus suis, video quid oppo-  
nant. Opes, Deus immortalis!  
opes amplissimi regni diuturni-  
tate bellorum exhaustas atque  
consumptas: quarum sane vis,  
quæ, quanta, qualis fuerit, se-  
quitur, ut hac secunda oratio-  
nis parte demonstremus.

Erant ista sane hostium sola-  
tia quædam, & quotidianorum  
quasi vulnerum fomenta: his  
opinionum tendiculis captabant  
vulgi animos: plenæ his rumo-  
ribus literæ, plenæ aures, pleni  
privatorum confessus, plena  
principum consilia: Non posse  
Galliam diutius molem gravif-  
simi belli sustinere; consump-  
tos inedia, morbo, defectione,



subitis excursionibus, intemptiva militia, numerosos exercitus; interclusa exterorum auxilia, succisum nobilitatis florent; superesse rudes pauculos & nuper centuriatos juvenes. Jam quæ tributorum onera, qui populi questus, quis agrorum squalor atque urbium, quæ portuum vastitas, quæ calamitas & angustia commercii? His porro copiarum omnium atque opulentia fontibus ita suppressis, quæ fisci labes, ærarii perniciës, fortunarum omnium interitus?

Quæ profecto dum vendita-  
rent apud suos homines intelli-  
gentissimi, dum ad votum &  
libidinem fingerent: qui sensus  
esse poterat etiam imperitæ mul-

titudinis ? quæ videret, effœtam illam , uti jactabant , & inanem rerum atque hominum Galliam, emittere tamen e sinu suo im-  
mensos exercitus : eosque non certis ratisque temporibus , ut inundantium natura fluminum est ; sed jugi & continuo quodam veluti oceani totius dilu-  
vio , totis provinciis longe ac late superfundi. Quæ vero sapientum inter illos opinio ? qui secum animo reputarent , ipsa die qua cætera deficiunt , ipsa belli diuturnitate qua maximæ vires infringuntur , adeo non imminutos esse Ludovici exercitus ; ut qui bellum in Batavos centum hominum millibus ad-  
crnaverat primum , idem exactis trucis & cruenti belli sep-

tem annis, commissis omnino præliis decem, captis urbibus innumeris, ducenta etiamnum & eo amplius millia in castris, in classibus, in præsiidiis aleret.

At enim rumor ille de rerum nostrarum angustiis; hæc somniantium hominum, aut sane vulgi simplicitate nimis quam intemperanter abutentium voces, apud quos & quo loco potissimum increbrescunt? Iis, opinor, hostium in provinciis, quibus ipse belli turbo tot annos incubuit; quas victi pariter ac victores veluti communem arenam infedere; quæ, tum ab his armorum jure, tum ab illis temporum necessitate, direptæ vicissim ac depastæ sunt; quibus hyems non æstate tranquillior,

æstas non hyeme fertilior, nulla alia nota nisi belli tempestas. Fatiscant illæ quidem, etsi hoc durum ac miserum, importuni belli onere: de re nostra ne ita æstiment, ut suæ parem putent.

Ut enim absint cætera, quæ omnino inter nos paria non sunt, non par ubertas soli, non situs opportunitas, non abundantia rerum, non illa quæ viget apud nos partium omnium & voluntatum summa quædam consentio. Hæc, inquam, ut præteream: quid? an unum atque idem est, belli flammam alienis finibus ac remotis inferre: &, eandem sinu suo continere atque alere? Idemne suis interdum hybernos commeatus

præbere: & , suis , alienis ; popularibus , exteris ; amicis inimicis ; ad satietatem omnia , ad libidinem , continuo suppeditare ? Idemne habere apud se divitiarum suarum fontem , non egentem alienæ opis opulentiam : & , quicquid fere tibi opus sit , id omne ex alieno penitere , quærere commerciis , longis ac periculosis anfractibus accersere , extorquere precibus , & quasi mendicare ? Idemne opes maximas administrari magno consilio , magna fide : & , id quantum habeas , dispensatorum incuria , ne dolo dicam , effluere sine fructu ac perire ? Idem denique regem habere , quem ames , quem in oculis feras , cui te ac tua sponte devoveas atque ad-

32 LUDOVICO MAGNO  
dicas : & , illo regum amore vix  
moveri?

Neque enim ego dubitem de  
singulis hostibus nostris id ip-  
sum citra contumeliam affirma-  
re. Tribuo illis vires maximas ;  
do studium rei militaris ; non  
adimo publicam fidem, reveren-  
tiam regii nominis , fidei & re-  
verentiæ constantiam : si qua est  
etiam res alia, qua in re præcel-  
lere cæteris velint, non invideo.  
Amorem sane principum, &  
hujus tam teneri tamque dulcis  
affectus quæ sit illecebra, quæ  
vis : nulla gens alia, præter-  
quam Gallica, fatis capit. Non  
capiunt Flandri : quibus a re-  
gum suorum conspectu remo-  
tissimis, major quidem e lon-  
ginquo reverentia ; non amor.

est. Non agnoscunt Hispani: quibus, & regia gravitas, & aditus difficilis, & quædam quasi absens præsentia, majestatem exaggerat, non amorem inspirat. Non sentiunt Batavi: quam reipublicæ commodis addicti, tam ab omni principatu abhorrentes. Non intelligunt Germani, varietate partium, studio religionum, multitudine principum, ab illo summi unius capitatis amore cultuque distracti. Capiunt, agnoscunt, sentiunt, intelligunt, aut maxime omnium, aut uni omnium Galli: quos regum suorum quotidianus prope usus, & blanda popularitas, & aperti ferenique vultus, ita rapiunt ac devinciunt; ut rem suam ac regiam eodem habeant

loco ; privatam utilitatem a regis gloria nihil distare, se regis commodis auctum quisque ac beatum putet.

Et vero petiit ille pecuniarum subsidia ? concessa sunt. Imperavit ? soluta sunt. Mutua sumpsit ? quo tum ardore, quo concursu, ex omnibus regni partibus, e regionibus etiam exteris, itum est ad quæstores ? ut reflueret ærarium : isque vulgo esset negotiatorum sensus : levius esse hujus commercii periculum, certiores regie fortunæ fidem, uberiores tam sumptuosi belli proventus ; quam agrorum & mercium.

At ne mutuis in pecuniis hæreamus, quid ? in iis ipsis, quæ prius fuerant imperatæ, quale,



quam novum specimen, quam illustre, tum fidei regiæ, tum popularis in regem & publicæ voluntatis, exemplum est positum? Vidimus exigi alias e singulis classibus ordinibusque civium ingentes pecunias. Easdem, ubi essent illatæ in ærarium, inde iterum emanare; e quæstorum manibus educi atque extrahi; & unde expressæ primum fuerant, eorum in sinum refundi: aut quando, aut ubinam vidimus? In hac ipsa civitate, nunc primum, ante annos quatuor? cum expeditione confecta Trajectensi, refusa sunt in Parisiensem populum e collectis antea tributis admodum quinquagies. Quæ quò sensu excepta sint a populo,

36 LUDOVICO MAGNO  
meministis, auditores? hostes,  
exteri, posteri, parum credent.  
Non hæc sane lætitia, non ad-  
miratio, non stupor fuit: pudor  
potius & offensio quasi spre-  
muneris, & rejecti ab rege ob-  
sequii sui quidam dolor. Ac ne  
viderentur inviti & coacti cæ-  
tera contulisse, si quid ultro at-  
que avide reciperent: noluerunt  
ex ea pecunia, quæ sibi repræ-  
sentabatur, quicquam attinge-  
re; totam, vel festis ad regis  
laudem ignibus, vel sacris pro  
ejus incolumitate supplicatio-  
nibus, non publico magistra-  
tuum edicto, sed privata singu-  
lorum ordinum destinatione,  
consumpserunt. O certamen  
inauditum, auditores! rex cum  
plebe compositus: utrum iste

parcior, an ista profusior. O  
 sacram jam vere pecuniam,  
 quam nemo attingere audeat!  
 non rex in maximis molitioni-  
 bus rerum, non quæstor in illa  
 fortunæ suæ licentia, non plebs  
 in communi aliqua difficultate  
 temporum. Superflua reperta  
 est, & in medio posita vis in-  
 gens pecuniæ, quam nemo  
 suam diceret: quam rejiceret  
 fiscus, ærarium remitteret, pri-  
 vatus quisque respueret. Hinc  
 argumenta petite, si minus opu-  
 lentia nostræ, at largæ in re-  
 gem & effusæ voluntatis: quæ  
 dum cavebit assidue, ut regi  
 ne quid desit; providebit ad-  
 ministrorum fides, ut plus satis  
 etiam sit.

Hoc unum quippe est inter

38 LUDOVICO MAGNO  
cætera ; quo nostra in Ludovi-  
vicum caritas alitur ac fovetur ;  
egregia dispensatorum sanctitas.  
Non serviunt quæstorum luxu-  
riæ impensa regiæ dignitati ve-  
ctigalia : non cæcis corrivationi-  
bus effluunt : non , ut hostibus  
usuvenit , vanas in molitiones  
abeunt. Certus pecuniarum no-  
strarum , & publicus , & in ocu-  
lis positus , & major opinione  
fructus est. Hinc videmus con-  
scribi atque ali victores exerci-  
tus , communiri atque ornari  
urbes patrias , hostiles everti ,  
sublevari socios , contineri du-  
bios , infestos atque æmulos  
mulceri sensim atque captari.  
His auctus amoris nostri pigno-  
ribus potius , quam tributis ,  
Ludovicus ; satis habuit , ut ho-

stium conatus everteret ; satis ,  
 ut ædificationes urgeret : satis ,  
 ut obsessæ urbes incendio defla-  
 grarent ; satis , ut ædes regiæ  
 tempestivis ludis & festa luce  
 florent : satis , ut starent belli o-  
 pera ; satis , ut artes interim &  
 studia disciplinarum vigerent.  
 Nihil militum commodis ab-  
 stulit aulæ pompa : nihil nocuit  
 expeditionum amplitudini sub-  
 structionum immanitas : nihil  
 urbium abundantia castrorum  
 opulencia detraxit. Opponant  
 his opibus , & nostris , & regiis ,  
 adversarii gazas suas , & com-  
 merciorum fructus immensos ,  
 & Indici auri juges venas : lenta  
 rerum angustarum , & incerta  
 subsidia !

ATQUE illa quidem duo for-

40 LUDOVICO MAGNO  
titudinis & opulentiaē præsidia,  
quam felici prudentia cumula-  
rit, & hostium in perniciem ver-  
terit, hoc tertio capite videamus.  
Negata laus olim illa prudentiaē;  
certe non univēse concessa, nec  
sine contentione, genti nostrā.  
Quam legitimo jure, non dispu-  
to: quam aperte, quam insigni-  
ter ab ea nos hominum opinione  
postrema hęc tempora vindica-  
rint; nec sane disputabunt ij,  
quos puderet, ab imprudentibus  
toties esse devictos.

At enim si gravitate, cuncta-  
tione, magniloquentia, superci-  
lio, prudentia continetur; fateor,  
& ea nos caruimus, & eam cæte-  
ris quibuscumque libuerit, relin-  
quimus potius, quam nobis ar-  
rogamus. Si vero captatione tem-  
porum

porum, dispensatione rerum,  
 consiliorum suorum occultatio-  
 ne, alienorum scrutatione, vigi-  
 lantia, diligentia, silentio, stat  
 vigetque prudentia; facile est,  
 hujus belli primordia, seriem,  
 ultima comparanti, cognoscere,  
 quid in eo genere præstiterimus.  
 Si tamen ea quæ præstitimus,  
 prudentiæ debent, non majori  
 cuiquam virtuti atque intelligen-  
 tiæ tribui.

Id enimvero quid & quantum,  
 Ludovice? soli naturam, cæli  
 temperiem, vices conversiones-  
 que siderum, sic aptare & acco-  
 modare consiliis; ut eisdem ser-  
 vire atque occurrere videantur:  
 earum vim, ubi est adversa, sic  
 habere in promptu quo frangas  
 aut tempe s, ut aliis omnibus

42 LUDOVICO MAGNO  
importuna, tibi uni opportuna  
dici possit. Dara sit hyemis &  
longa, gelu rigeat, imbre ma-  
deat, nivibus & pruinis horrescat:  
extrudet e campo tempestatis in-  
clementia tuos hostes, & in ur-  
bium munimenta compellet; te  
vocabit ex umbraculis, invitabit  
in castra, producet in prælia.  
Nuntios adventus tui difficultas  
itinerum inhiabit; exercitus ve-  
ro tuos, impedimenta, tormen-  
ta, te, non inhiabit, non tar-  
dabit. Acuet celeritatis impetum  
difficultatis asperitas: milliaria  
ducenta facile decurres æstate,  
prætervolabis hyeme: Flandriæ  
Lotharingiam itinere quattridui,  
Metas Gandavo conjunges: fa-  
mam ipse tuam, & metum, &  
suspicionem antevertes: præsen-



tiæ tuæ fidem præsens ipse vix facies.

Admoniti Vefontiones clade sua, jam fracti, jam ad extrema compulsi, vel fictamen de adventu tuo parum certi; credere nisi oculis negant posse: primamque deditiois suæ legem scribunt, ut victorem videant.

Caruit Gandavensis expeditio merita laude multos dies, diu fabulæ locum obtinuit. Tantum veritati detrahebat insperata novitas. Minusque tibi apud hostes laborandum fuit, ut vinceret; quam ut vicisse putareris.

Hac tanta celeritate; hoc, usu dicam, an abusu temporum; his immaturis, ut ita loquar, intempestivisque victoriis, quid deni-

que perfectum est? nisi ut semper hostes tuos, aut imparatos occupares, aut paratos eluderes. Quo quid exequi prudentia sublimius & gloriosius potest? Mores exercitum? timent. Præes ipse tuis? horrescunt. Urbem obfides? desperant. Ornas ipse ac reficis arces tuas? erui suas existimant. Lustras otiose regni fines? sinu intimo commoventur. Stas? in excubitu perdurant. Quiescis? evigilant. Ludis? insidias putant. Pars est prudentiæ tuæ, pars victoriæ, pars gloriæ; quod reliquorum principum enervare vires, deturpare nomen solet: quies, otium, ludus. His quoque in hostes tuos uteris quasi armis: ut sine magno deinceps eorum periculo, certe metu; ne cessare

quidem & otari possis.

Permeat in duces, in milites, ex illa summi capitis quasi arce, vis eadem consilii. Mira omnium fides, mira secreti religio, simplex & minime curiosum obsequium. Ire, redire; properare fictis itineribus, & lentis, & subitis, & hybernis; non vacationem petere, non periculum deprecari, non laborem subterfugere; non curare, quo pergant, unde alantur, ubi sint, qui finis belli sit futurus: si quid asperius occurrat; solari ac sustentare se victoriæ spe, ducum exemplo, regis aspectu. Jam hyems præterierat, pernoctabant Turenno duce medias inter nives, in Alfatia montibus; necdum hiberna rogaverant. Vallatos un-

46 LUDOVICO MAGNO  
decunque se Gandavenſes & cir-  
cumcluſos videbant; & adhuc  
obſidionem miles obſeſſor igno-  
rabat. Patebant improvifo noſ-  
trorum impetu perruptæ Valen-  
cenæ, cives ad deſenſionem  
inermes, præda ingens in mani-  
bus: & ecce primo Ludovici nu-  
tu furor omnis extinctus; auri  
fames tam cæca, tam impotens,  
in effuſiſſima rerum copia fræna-  
ri ſe paſſa eſt; nihil miles in illa  
victoriæ ſuæ licentia ſibi duxit  
licere, quod regi ſuo non libe-  
ret; ſe cuſtodem alienis opibus  
adhibitum, non prædatorem  
immiſſum; ſeque civem inter ci-  
ves, non victorem inter victos,  
verſari tum putavit.

O leges Spartanæ! leges Ro-  
manæ! caſtrenſis ac militaris

disciplinæ vindices : quonam  
 exemplo reviviscitis ? Inventus  
 est in Gallia nunc denique, qui  
 prudentia & auctoritate sua, vos  
 e tenebris erutas in usum & lu-  
 cem & dignitatem revocaret : rex  
 hostium saluti, quam militum  
 commodis intentior ; & in ipsa  
 victoriæ luce, clariori aliquo de-  
 lectatus nomine, quam victoris.

Jam quis enumeret cætera pru-  
 dentia admirabilis exempla, quæ  
 singulis expeditionibus edidit ?  
 Ut primo Germanici belli rumo-  
 re, liberas illas Alfatia civitates,  
 victoriæ nostræ minus æquas,  
 una lustratione, uno impetu,  
 corripuerit, exarmarit ; & , si mi-  
 nus voluntate, nocendi certe fa-  
 cultate spoliaverit. Ut amplissi-  
 mam Sequanorum provinciam,

48 LUDOVICO MAGNO  
fomitē atrocis incendii, quod  
Galliæ visceribus continuo in-  
tentabatur, uno mense occupa-  
verit. Ut, quo ditioe tanta, tam  
opportuna, tam conjuncta, tam  
copiosa potiretur, peregrinos  
illos & præcoces primæ victoriæ  
suæ fructus abjecerit. Neque e-  
nim id quidquid est Gallicæ levi-  
tati quisquam tribuat. Nihil ami-  
simus, Galli, cum suæ libertati  
Batavos permisimus; sed felici &  
optabili commutatione, nostram  
in perpetuum munivimus. Id  
fecimus, quod privato cuique  
propria in re laudi vertitur: in-  
certa & difficili & longinqua  
possessione cessimus; ut vicinam  
& uberem & certam occupare-  
mus. Hostes Gallici nominis in  
ipso Galliæ veluti sinu jacentes,  
&

& domesticos & prope contubernales exclusimus. Hoc uno imprimis affecutus summum prudentiæ fastigium Ludovicus, quod vulgi opinione duci se ac deterreri nec in ea re passus sit; quod hominum rumori publicam utilitatem, inani gloriolæ regni securitatem, Batavis denique Sequanos antetulerit.

SE D quid hæreo in levibus? illum ipsum tam gloriosi belli terminum, gloriæ nostræ cumulum pæne omitto; fortitudinis, opulentiae, prudentiæ monumentum immortale, victricem ac triumphalem pacem. Erumpant in publicum regiae laudis æmuli, rerum hoc bello gestarum obtrectatores: evolvant pacis instrumenta, condiciones ex-

50. LUDOVICO MAGNO  
pendant, verborum apices invidiose dispungant: & nunc plane pronuntient, cujusmodi videatur hoc denique bellum esse; quod tam gloriosa, tam fructuosa pace componitur.

Quæ vis nempe fortitudinis? pacem eodem ferme tempore oblata hostibus, quo sublatam; ab annis omnino septem agitatam variis in urbibus, Hagæ contemptam, proscriptam Colonia, Neomagi lenta & dubia partium contentione jactatam; certum unum ac securum in Europa perfugium reperisse, Ludovici exercitum atque sinum. Maluerunt Batavi regi nostro, hosti suo, & armato, & instanti, & ad certam victoriam properanti, de summa rerum cre-



dere ; quam focis, & fœderatis, & ministris suis. Inter disceptationes conventuum, & Hispanorum querelas, & Anglorum officia, & admonitiones imperatorias, & Boreales illos Brandenburgici principis triumphos, tot opes, tot auxilia, tot arbitria: unus arbiter fuit, qui & hostis, in ipsa exercitus acie Ludovicus; unius iudicio perpensa, dirempta, confecta res.

Quæ vis, opulentia dicam, an magnificentia? Ludovicum constituendæ pacis arbitrum, ex illo victoriae suæ fastigio descendere ad æquas condiciones voluisse: legem illam dedisse, quæ muneris loco esse posset: tot urbes, ditionem tantam, iusti ac legitimi belli dignos fructus,

52 LUDOVICO MAGNO  
hostibus remisisse; ut spes eorum  
vinceret. Quis enim unquam  
hostium aut sperare, aut  
conjicere, aut suspicari ausus es-  
set: id eum sponte remissurum,  
quod extorquere nulla vis eo us-  
que potuerat? Quibus modis  
Caroloregium, ut ex uno conje-  
cturam faciamus, qua vi, qui-  
bus artibus, qua tempestate ce-  
pissent? An hyeme? jam frustra  
tentaverant. An æstate? nihilo  
plus profecerant. An dolo &  
industria? destitutum auxilio,  
præfecto, præsidio, repentinis  
impressionibus adorti, spe ta-  
men sua dejecti erant. An jun-  
ctis fœderatorum copiis? inanes  
eorum omnium conatus esse  
atque impetus non sine damno  
senferant. Parem Aldenaræ, pa-

rem Trajecti fortunam experti, pari cum dedecore fugerant. Ut, quas urbes pacis deinde beneficio sibi essent habituri; has omnes Ludovici munificentiae, non virtuti suae, debere se publica praedicatione faterentur.

Quae vis demum altissimae prudentiae? sic sociorum suorum temporibus accommodasse res suas: ut quo maxime tempore belli mole Succia laboraret; vacua tum esset Gallia, & immunis, & illud qualecumque periculum, pro se susceptum atque initum, parata propulsare. Fuerit is antea mos principum; ea sit etiamnum celeberrimarum consuetudo gentium, una lex apud eas & ratio constituendae pa-

254 LUDOVICO MAGNO  
cis, utilitas. Fides apud Lu-  
dovicum, fides publica pa-  
cem sancit: huic laudes ejus  
omnes & emolumenta serviunt:  
dumque privatæ rei studio dis-  
solvunt plerique alii fœderum  
sanctiones; hic fœderis reve-  
rentia, sublevandæ sociorum  
causæ studio, victoriæ suæ sibi  
fructus amplissimos, & jam an-  
tea collectos, & mox deinde  
colligendos ultro ac libenter  
adimit. Majorne tam genero-  
sæ pacis, an tanti belli gloria?  
Judicabunt Batavi, suis redditi  
finibus, & de libertate sua nunc  
securi. Disceptabunt Austriaci,  
quam attriti belli damnis, tam  
refecti pacis muneribus atque  
aucti. Pronuntiabunt Germani,  
mox Sueciæ cladibus minus im-

periose gloriantes. Experientur  
Sueci, plus quiete nostra jam  
firmati, quam de calamitate sua  
solliciti. Nos Galli rerum tan-  
tarum splendore circumfusi ;  
securitate nostra, regis incolumi-  
tate sat beati ; tam novæ,  
tam inauditæ litis arbitrium  
posteritati relinquemus.

D I X I.

E üij

**E**RANT in aula,  
 ubi hæc habita est  
 oratio, posita ad orna-  
 tum, & regis, & cete-  
 rorum, qui eius auspi-  
 ciis hoc bellum admistra-  
 runt, principum atque  
 imperatorum imagines,  
 expressæ a præstantissi-  
 mis Gallie pictoribus.  
 Additæ singulis, pro re-  
 rum gestarum amplitu-  
 dine sane breves, & sim-  
 plices, & ad veterem  
 formam exactæ inscrip-

tiones. Quæ, quia præcipua rerum capita continebant, omnino ne perirent, optavere, qui concioni interfuerant, viri graves & honesti complures. Idcirco eas orationi subiungimus: monemusque, tria his legendis observanda. Primum est, ea tantum hic laudari; quæ quisque suo ductu atque imperio; non item quæ alieno, perfecerit. Alterum est, illius belli,

quod primo Batavis illatum fuit, nullam hic fieri mentionem: cum id precipue unum spectaverit oratio, quod ex illo natum adversus fœderatas Europæ nationes potentissimas, gestum deinde ac patratum est. Denique in magna virorum fortium copia, eorum unice habitum esse deletum, quorum in Gallia summum armorum imperium est.





INSCRIPTIONES

*Principum & imperatorum, qui  
hoc bellum administrarunt.*

I.

LUDOVICO  
MAGNO.

FLANDRIS. ET. SEQUANIS

REGNO. ADJECTIS.

BATAVIS. HISPANIS. GERMANIS

BELLO. MULCTATIS.

.PACE DONATIS.

## I I.

PHILIPPO  
REGIS . FRATRI .

FUSIS . FUGATIS  
AD . CASSELLUM . BATAVIS .  
AUDOMARO . BOCHANIO .  
CAPTIS .

## I I I .

LVDOVICO  
PRINCIPI . CONDÆO .

TRIBUS  
AD . SENEFUM .  
EXERCITIBUS . FRACTIS .  
RELATIS . MANUBIIS .  
ALDENARA . HAGENOA .  
LIBERATIS .

I V.

HENRICO  
DUCI. ENGUINÆO.  
EXPUGNATO. LIMBURGO.  
EXERCITU  
IN. SEQUANOS  
INDUCTO.

V.

HENRICO  
PRINCIPI. TURENNIO.  
SERVATIS  
REGNI. FINIBUS.  
PULSIS. ULTRA. RHENUM  
GERMANIS.  
EORUM. EXERCITU  
QUATER. CÆSO.

## VI.

FRANCISCO  
MARESC. CREQUIO.

DELETIS

INCRUENTA . VICTORIA.

GERMANORUM . COPIIS.

RHENO . PONTIBUS . SOLUTO.

FRIBVRGO . CAPTO.

ARGENTINA . COERCITA.

## VII.

BERNARDINO  
MARESC. BELLEFONTIO.

ASSERTA

UTRAQUE . MOSÆ . RIPA.

ARGENTÆO . NAVANIA.

EXCISIS.

VIII.

LVDOVICO

MARESC. HUMERIO.

FLANDRIA

BELLI. TEMPORE.

FELICITER. ADMINISTRATA.

ARIA. GHISLENIO.

SVBACTIS.

IX.

GODEFRIDO

MARESC. ESTRADIO.

CUMULATA

PER

GLORIOSÆ. PACIS

GÜBERNATIONEM

BELLI. GLORIA.

X.

P H I L L I P P O

MARESC. DUCI. NAVALLIO.

SUPERATIS. PYRENÆIS.

CÆSIS.

AD. ESPOLIAM

HISPANIS.

PERDOMITIS. CERDANIS.

XI.

F R E D E R I C O

MARESC. SCHOMBERGIO.

R E P R E S S I S

INTRA: PYRENÆOS. HISPANIS.

TRAJECTI. AD. MOSAM

SOLVTA. OBSIDIONE.

CASTRIS. HOSTIUM. DIREPTIS.

*Inscriptiones.*

XII.

I A C O B O

MARESC. DUCI. DURASSIO.

MANSUEFACTIS

PRUDENTIA. ET. ÆQUITATE

SEQUANORUM. ANIMIS.

FIRMATO

ALSATIA. EXERCITU.

XIII.

L V D O V I C O

MARESC. DUCI. VIVONNIO.

ADITU. IN. SICILIAM

PERRUPTO.

RUITERO. AD. AUGUSTAM

VICTO. ET. CÆSO.

HISPANA. CLASSE. AD. PANORMVM

INCENSA.

FRANCISCO  
MARES. DUCI. FULLIADEO.

SALINIS . EXPUGNATIS.

PULSIS

E

SEQUANORUM . PROVINCIA

HISPANORUM . RELIQUIIS.

FRANCISCO  
MAR. DUC. LUXEMBURGICO.

CAROLO REGIO . LIBERATO.

CASTRIS

AD . MONTES . HANNONIÆ

CUM . HOSTIUM . CLADE

EXPUGNATIS.



XVI.

HENRICO  
MARESC. RUPEFORTIO.

HUYO. SUBACTO.

RETENTIS

IN. OFFICIO

LOTHARINGIS.

XVII.

GVIDONI  
MARESC. LORGIO.

VINDICATA

TURENNII. NECE.

REPORTATO

GERMANIA

VICTORE. EXERCITU.

IOANNI  
COMITI . ESTRÆO .

V. AMIRALIO .

GAYANA . TABACO .

VI CAPTIS .

BATAVORUM

AMERICANA . CLASSE

DELETA .

COLONIIS . EXCISIS .





